

citatis Nostrae fiducia, sed unice zeli fervore abrepti, partim ex spontanea privatorum, ac praecipue Episcopi Clerique Ecclesiae Zagrabiensis oblatione, partim imo maxima in parte ex contracto mutuo aegerrime conflavimus, viginti millium florenorum Summam titulo doni gratuiti solita benignitate suscipere, simul autem erga axhaustas vires Nostras Materna Clementia et compassione commoveri, et clementi illo, quem Majestati Vestrae Sacratissimae innatum veneramur, animo metiri, an oblata binis jam vicibus non magna ea quidem, vires tamen nostras superante, atque ideo attracto aere alieno comparata summa, sive modus, sive facultates nobis amplius superesse possint, necessitates Majestatis Vestrae Sacratissimae sine ruina Nostra posthac sublevandi.

Ex hac Nostra Benignas Intentiones Caesareo Regias secundandi promptitudine dignetur Majestas Vestra Sacratissima persvasum habere, Nos equidem benigno Majestatis Vestrae Sacratissimae circa Tyrones Milites statuendos desiderio pari promptitudine responsuros fuisse; sed dum per oblatam hactenus numerosam eorum statutionem tam colonos, quam Bandlerialistas ita exhaustos esse conspiciamus, ut sessiones complures hospitibus destitutae in Desertas abiverint, quarum onus nec aliis sine injuria imponi, nec sine contributionis defectu defalcari posset. non possumus non sorti Nostrae majorem in modum indolere, quod pares amplius haud simus, ultra ea, quae hactenus fecimus, quidquam praestandi; nam praeterquam quod populosiores Regni Partes per eductos binis jam vicibus, majore sane numero, Tyrones, minus autem populosae Incolisque destitutae praestituto aequae proportionato concursu enervatae jam sint; insuper non possumus Majestatem Vestram Sacratissimam celare, quod nec modalitas quidem ulla hac in re nobis amplius supersit: nam conductionem quidem, hactenus quoque in Civitatibus et alibi passim tentatam, minime tamen successisse palam constat; per Capturam autem hactenus susceptam subditos omnes tanto terrore perculosos experimur, ut omnes jam Regni concursus suspectos habeant, semper veriti, ne de illis ad rationem Tyronum denuo comprehendendis deliberetur, unde porro fit, ut fuga e vestigio se subducentes aut ad Ditiones Turcicas emigrent, aut in Sylvis latitantes, sessiones quidem desolatas, vias autem infestas reddant, imo in persecutores suos (uti recentia nuper exempla testatum faciunt) tantopere sint animati, ut vulnera etiam, ac tantum non necem inferre haud formident. Quapropter dum Tyronum Militum statutionem praestari a nobis sine desolatione Patriae amplius haud posse de genu detegimus, non possumus non de congenita Majestatis Vestrae Sacratissimae Clementia quam optime sperare, eandem nulla prorsus ratione admissuram, ut Patria Civibus, rus agricolis, Domini subditis, et quod praecipuum esse duximus Cassa publica Contributione privetur.

Exposuimus coram Majestate Vestra Sacratissima calamitatem imbecillitatemque nostram ea, qua subditos coram optima Principe opertet, ingenuitate; quae omnia Spectabilis ac Magnificus Comes Regnorum horum Banus, a nobis eatenus peculiari cum fiducia requisitus, coram uberius Majestati Vestrae Sacratissimae est declaraturus. Reliquum jam est, ut humillimas de genu gratias Majestati Vestrae Sacratissimae reponamus, quod clementer nos affidare dignabatur, praestita hactenus a nobis obsequia, velut unice necessitatis gravitate spectata, suscepta, nec Cardinali Nobilium praerogativae, per Articulos etiam 28. 29. Ferdinandi I. Decreti 5., fine propulsandi e visceribus Regni Turcae ab Hungaria, conditos, in